

Sit enim epicyclus  $AB$ , quem primum maioremque nuncupabimus, centrum eius sit  $c$ , & ex centro terræ quod sit  $D$ , recta linea  $DC$  extendatur in summam absidem epicycli, & in ipso  $A$  centro aliud quoque paruum epicycliū describatur  $EF$ , & hæc omnia in



eodem plano orbis obliqui Lunæ. Moueatur autem  $c$  in consequentia,  $A$  uero in præcedentia, ac rursus Luna ab  $F$  superiori parte ipsius  $EF$  in consequentia, eo seruato ordine, ut dum linea  $DC$  fuerit unà cum loco Solis medio, Luna semper proxima si centro  $c$ , hoc est in  $B$  signo, sub quadraturis autem atque in  $F$  remotissima. Quibus sic constitutis, aio lunares apparentias congruere. Sequitur enim, quòd Luna bis in mense circumcurreret epicyclium  $EF$ , quo tempore  $c$  semel redierit ad Solem, uidebiturque noua & plena minimum agere circumlum, nempe cuius quæ ex centro fuerit  $CE$ . In quadraturis autem maximum secundum distantiam à centro  $CF$ . Sicque rursus illic minores, hic maiores æqualitatis & apparentiæ differentias efficiet sub similibus sed inæqualibus circa  $c$  centrum circumferentijs. Cumque  $c$  centrum epicycli in homocentro terræ circulo semper fuerit, non adeo diuersas parallaxas exhibebit, sed ipsi epicyclo solū conformes. Et in promptu causa erit, cur etiam corpus lunare sibi simile quodammodo uideatur, atque cætera omnia quæ circa lunarem cursum cernuntur sic euenient. Quæ deinceps per hanc nostram hypothese[m] demonstraturi sumus, quanquam eadem rursus per eccentros fieri possunt, ut circa Solem fecimus debita proportione seruata. Incipimus autem à motibus æqualibus, uti superius faciebamus, sine quibus inæqualis discerni non potest. Verum hic non parua difficultas existit propter parallaxas quas diximus. Quam ob rem per Astrolabia atque alia quæuis instrumenta non est obseruabilis locus eius. Sed naturæ benignitas humano desiderio etiam in hac parte prouidit, quo certius per defectus eius, quam usu instrumentorum depræhendatur, ac absque erroris suspitione. Nam